

IN NOMINE JESU!
DISPUTATIO THEOLOGICA

Elenctica, XIV. XIII

De

VI VERBI DIVINI
DISCERNENDI
RELIGIONES;

QUINTO CONTINUATA;
DEI OPT. MAX. AUXILIO,

UT ET

*Reverendæ Fac. Theol. Consensu, in Regiâ & Florentiâ
Academiâ Aboënsi, publicè proponenda & examinanda,*

PRÆSIDË

DN. ENEVALDO SVENONIO,
Q. G. A. S. S. Theol. Doct. Prof. Pastore Ab.
& h. t. Fac. Th. Decano.

RESPONDENTE

IOHANNË BENEDICTI MACRO.
LANDRO, Pojoënsi,

*In Audit. Sup. & Max. ad diem 21. Martij
Anno ΧΕΙΣΟΒΟΙΑΣ M. DC. LXXIII.*

ABOË,

Impressa à PETRO HANSONIO, Acad. Typog.

Handwritten signatures and notes at the bottom of the page.

Sereniss: Regiæ Majestatis
Regniq; Sveco-Gothici Fidelis. VIRO,
GENEROSO ET NOBILISSIMO,

Dn. CLAUDIO Wgla / Equi-
tum Tribuno maximè strenuo, Domino de Bröds-
torp & Lånholmén / &c.

UT ET
NOBILISSIMO,

Dn. JOHANNI Góds / signifero impigerri-
mo, Domino de Prestkulla & Nygård / &c.

NEC NON

Reverendis & Humaniss: VIRIS,

Dn. BENEDICTO MACROLANDRO,
Pastori in Vöso meritissimo; Patri Charissimo.

Dn. HENRICO PETRI, Pastori in Etenäs
fidelissimo:

SICUT ET

Spektatissimüs & Integerimüs:

Dn. HENRICO Grelson / Comitum de Rase-
borg redituum Inspectori accuratissimo:

Dn. JOHANNI Borgman / ejusdem Comitatus
Prætori perfideli:

*Illi ut patrono magno, Isti ut Evergetæ,
Hæ ut Parenti & Avunculo, cateris ut fautori-
bus honorandis, Exercitium hoc Academicum*

Dedicat & offert
RESPONDENS.

Hæ enim licet satis diu, sed frustrâ à Bucero sollicitata fuissent, ut concordia Wittebergensi, sua quoq; darent nomina, nunquam tamen eam receperunt; sed potius à Saxonis & Svecicus ecclesiis manifestam secessionem fecerunt. Deinde ipsa Lavateri Scriptoris Helvetici citat verba ex hist. Sacr. fol. 28. inquit: Senatus Tigurinus Ministris Ecclesiæ suæ, presentibus etiam Basileensibus respondit capita illa Concordiæ obscura esse & ambigua: SE ERGO NOLLE SUBSCRIBERE ET EA APPROBARE. Et post aliqua, pag. seq. Berna coacta est generalis Synodus ad diem 19. Octob. in qua trecenti parochi, minus quatuor fuerunt. Et quamquam Helvetij declarationem istam suæ Confessioni nihil adversari judicarent; NON TAMEN PLACUIT SUBSCRIBERE. Et pag. 30. In hoc actu (qui Tiguri A. 1538. Mense Aprili fuit) de responso Luthero dando (qui Helvetios ad hanc Concordiam, scriptâ amicissimâ epistola, invitaverat) per triduum disceptatum est cum Bucero, qui ambiguâ loquendi formâ, solidam Concordiam sancire conabatur. Tigurini Obscurè & Captiosè loqui volebant, sed libere & apertè, ne concordia fucata & insidiosa postea majores turbas pareret. Ad declarandum hanc Concordiam Nullam & indeo falsam, etiam fuisse Criminationem Hospiniani & reliquorum Calvinianorum & Calvinizantium, qua eadem rupta à Luthero post bienniū fuerit per renovationem Certaminis, facit huc quod Josias Simblerus Tigurinæ & Helvetiæ Scholæ professor in Orat. de Vit. & obitu Petri Martyris scribit, ut pote: Bucerus non Helvetijs modo tum temporis ambiguus & obscuris loquendi formulis imponere studuit, ut in utram magis partem propenderet, colligi planè non potuerit; Sed & Petro Martyri persuadere aliquando Conatus fuit, suum ut exemplum secutus, talibus uteretur loquendi Modis, ex quibus nihil certi Concludi posset, ut ita utriq; inserviens parti, ambiguus illis & flexilocus loquendi formulis, dissidium hoc paulatim sopiret atq; tolleret. Hæc insidio-

fas ac subdolas Molitiones Tigurini animadvertentes, Minimè pro-
barant, & liberè atq; apertè professi sunt non velle se Concordiam
fucatam atq; insidiosam, qui juxta Buceri declarationem Cothurni
instar utriq; parti accommodari posset & Majores postea turbas pa-
ritura esset. Sed de tectâ Buceri astutiâ & Occultatione fraudis in
presentiâ B. Lutheri, postmodum querela extant. Tantum ergò abest,
ait Hutterus citato loco, ut vel A. 36. vel 37. Concordia aliqua in-
ter Saxonicas & Helveticas Ecclesias, coaluerit, ut potius neglectâ &
repudiatâ hâc Concordiâ, aliam Tigurini instituerint cum Genevensibus
& Neocomensibus, quam in vitâ Calvinî hîc verbis Beza describit:
Hoc Ecclesiis Germanicis insitum vulnus Contrario beneficio Dominus
apud Helveticos Compensavit, Farello simul ac Calvinio Tigurum
profectis, ut cum visus esset quibusdam Calvinus Consubstantiationi
nonnihil favere, de communi in eâ re Omnium Helveticarum Eccle-
siarum consensu Omnibus liqueret. Neq; vero difficile factu fuit,
ut inter bonos & veritatis amantes Conveniret. Scripta est igitur Sum-
ma Omnium Helveticarum & Rheticarum Ecclesiarum approbatione
consensio, quæ præsertim Bullingerum cum Calvinio, Tigurinamq;
Ecclesiam cum Genevensi, arctissimo vinculo, magis ac magis Colligavit.
Et profectò hæc ipsa Concordia, spem omnem Concordiæ
inter Ecclesias Augustanæ Confessionis, & Helveticas, ex
imis quasi fundamentis evertit: indeq; oblata fuit occasio
Joachimo Westphalo contra Calvinum publicè scribendi. Si
enim Tigurini, & cum ipsis reliqui Helvetij Concordiam
A. 36. approbassent, & vel ipsâ Buceri explicatione satis fie-
ri sibi passî fuissent, nunquam eo usq; proVectum fuisset
tristissimum hoc dissidium. Svevicæ enim urbes, quæ eam
receperunt adhuc, Deo Laus, Nobiscum in fide Consen-
tiunt, utpote dimidia Augusta Windelicorum, altera pars vero
Pontificia est, & Ulma ferè tota: est enim etiam ibi Cœnô-
bium Papæ, & aliæ Minores. Quod v. Bucerus vel primo qui-
dè m serio adsensisse Luthero, sed non perseverasse Creda-
tur,

tur, vel subdolè egisse ideoq; verba concordia eo facilius præter & Contra mentem Lutheri, Postea in gratiam Sacramentariorum fuisse interpretatum, id fundatoribus Concordiaë sinceris Nequicquam Officit, quippè Nil Mali suspicatis: Helveticæ vero urbes Tigurum, ubi docuit *Zwinglius*, & eius Successor Bullingerus, Leo judas, Theodorus Bibliander, Pellicanus &c. Basilea ubi docuit Oecolampadius, Tres Grynæi, Polanus, Munsterus &c. Berna, ubi docuit Wolfg. Musculus, B. Aretius &c. Et civitates reliquæ eam quam cum Calvino Doct. Genevensi (qui primò quidem Modestè de cœnâ locutus est, & acumine ingenij Multis imposuit, postea vero acerbius) Concordiam ingressi sunt & heterodoxiam semel professi, eandem in hunc usq; diem mordicus tenuerunt, etiamnumq; tenent. Illud proindè paucis adhuc repetendum fuerit, quæ & qualis Concordia Witteb. & inter quos, num etiam inter Lutherum & Helvetios de eâ convenerit, & an Lutheruseam violaverit?

Initiò igitur Concordiaë hujus, finis ac scopus Minimè fuit ille, quem vel Constringunt Calviniani, quasi nimirum Lutherus ad Castra Zvinglianorum transire, vel Duræus speculatur, quasi sub æqualibus statuendi de S. Cœna privilegiis, horum societatem ambire voluerit. Sed ut Ecclesia Svecicæ à Luthero rectius informatæ, valere jussis Sacramentariorum *ἱεραβλοχίας* ad Saxonicarum Ecclesiarum, hoc est, Lutheri Confessionem accederent eandemq; de Cœna Domini *ὀρθοδοξίαν* amplecterentur. Nam Lutherum neq; latum unguem à sententiâ & doctrinâ suâ de *τῷ ῥητῶ* verborum institutionis cœnæ, ac orali Manducatione & bibitione Corporis & sanguinis Christi discessisse, Neq; ullam Concordiam vel cum Helvetiis vel ullis aliis à se in articulo de S. Cœna dissentientibus, unquam sive ambi-

visse sive inijsse evidentissimè Confirmant tum *antecedentia*, tum *ipsa Concordiae formula*, tum *Consequentia*.

I. *Antecedentia* quod Concernit, testatur luculentè historia. *α.* quòd Elector Saxoniae & Lutherus, exiguam planè spem de firmitate aliquà Concordiae cum Zvinglianis ineundae tum Conceperint. *β.* Quod Zvingliani iussi sunt errorem suum agnoscere & revocare dùm Modo non fucata & simulata ab ipsis quærat^r Concordia. *γ.* Quod Lutherus Bucero & Sociis ingenuè ac in faciem respondit se Zwinglij *Oecalampadij doctrinam tanquam falsam damnare & etiam si personas iudicio Dei Committat, tamen doctrinam ipsorum ejusmodi esse, ut eam damnet ac reprobet.* *δ.* Quod Lutherus in unllam actionem *εὐχην* consentire prius voluit, quàm Bucerus & Coeteri sanctè testarentur, primùm se paratos esse revocare ea quæ hactenus minus rectè docuerunt: deinde se in posterum & Credituros & docturos: *quod panis in Eucharia sit verum Corpus Christi, & vinum verus sanguis Christi, eaq; per Ecclesiae Ministrum Omnibus sumentibus offerantur juxta institutionem Christi, Neq; tantum sumantur à dignis & corde & ore ad Salutem, sed etiam ab INDIGNIS ore ad ipsorum iudicium & condemnationem.* *ε.* quod deniq; B. Lutheri Collegæ pacem Bucero, Capitoni sociisq; promittere prius noluerint, quàm adhuc semel explicatè exponerent: *An etiam illum ipsam panem, qui à Ministro Christi cum verbis institutionis indignis datur & ab illis sumitur, verè Corpus Christi esse fateantur. Sic enim Fridericus Myconius, Lutheri socius, transactionis occasionem breviter describit: Postquam Bucerus & Socij expressè & publ^{icè} Consteri se protestati sunt panem esse Corpus Christi ex potentiâ & Virtute instituentis Christi & divina Majestatis, sive indignè abutantur sive dignè illo utantur &c. Facta & sancita est inter presentes Concordia Ubi proruperunt Lachryma Capitoni & Bucero, & utrinq; Cancellaris*

is erroribus & pijs gestibus Deo gratias egimus. Haud aliter rem exponit Michral. Hist. Eccles. par III p. 332. Interim, ait Bucerus, qui jam partibus Lutheri paulo addictior videbatur, Negotium Conciliandarum de Eucharistia opinionum in se suscepit; sed tantâ versutiâ, ut plerûq; persuaderet inter piam Lutheri doctrinam, & profanam Zwinglij opinionem Nihil quidquam esset discriminis. Obyt Helvetios, transijt ad Hassos, Philippum ad se evocari curavit: omnibus fere imposuit: Omnibus displicuit. Nam estis A. XXXVI Concordia aliqua inter Saxonicas & Svecicas Ecclesias ipsumq; Bucerum Coaluit, & Svecici valere justis Zwinglianorum *τῶν ἁλοῦντων* sanam de Cæna orthodoxiam amplectebantur, tantum tamen absuit, quod tn. ait Hospinianus, ut vel Lutherus ad Castra Zwinglianorum transferret, vel cum Helvetijs Concordiam inierit, ut potius cum Bucero verè tandem respiciente, & socijs ejus in nullam actionem evolvitur ante Consenserit, quam Cancellatis erroribus se in posterum Credituros sanctè & cum Lachrymis etiam testarentur, panem in Eucharistia esse verum Corpus Christi, & non tantum à dignis corde & ore ad salutem comedi; sed & ab indignis ore ad ipsorum judicium & condemnationem.

II. Media, seu ipsius Concordiæ formula hæc erat 1. *Fa-* tentur juxta Irenæi verba, in hoc Sacramento duas res esse, cælestem & terrenam: statuunt igitur & docent CUM PANE ET VINO, VERE ET ESSENTIALITER PRÆSENS ADESSE, EXHIBERI ET SUMI CORPUS ET SANGVINEM CHRISTI, 2. Statuunt institutionem hujus Sacramenti per Christum factam, efficacem esse in Ecclesia Christianâ, nec positam esse in dignitate vel indignitate Ministri, qui Sacramentum porrigit, vel illius qui accipit. Quare sicut Paulus dicit: etiam INDIGNOS Sacramentum Manducare: Ita Credimus etiam INDIGNIS VERE EXHIBERI CORPUS ET SANGVINEM CHRISTI: & verè hoc INDIGNOS ACCIPERE; sed ad judicium. 3. Tales indigni accipiunt

ad iudicium, qui abutuntur Sacramento, cum sine vera poenitentia et sine fide accipiant. 4. Cum hi (quot quot subscripserint) omnes fateantur se idem docere & sentire in omnibus articulis velle, quod in Confessione & Apologia principum Evangelicorum expositum est, summopere cupimus & optamus, ut concordia instituat. Quod si ceteri ab utraq; parte, hunc suum articulum sibi placere ostendent: planè confidimus, firmam & durabilem concordiam inter nos constitutum iri. Nota jam; Quale iudicium de hâc concordia d. l. tulit B. Hutterus, tale etiam omnes Lutherani antisyncretistici feremus: Et hæc fuit Formula Concordiæ Witebergensis, quæ haud magis quicquam commune cum Zvinglianismo, sive moderno Calvinianismo, atq; cum Alcorano Turcico habet.

III. Consequentia quod attinet, quæritur, An Helvetij huic Concordiæ formula unquam subscripserint? Et sic cum B. Lutero concordiam etiam ullam inierint? R. Affirmat Parvus, clam præsupponit Duræus. Nos vèro Negamus utrumq; Nam 1. Concessio libenter Bucerum anxie ab Helvetijs subscriptionem Articulorum Concordiæ Wittebergensis postulâsse, eaq; sollicitudine effecisse, ut humanissimas ad B. Lutherum literas scripserint Helvetij; nequicquam tamen assecutum esse: neq; enim hic passi sunt sibi persuaderi Lutherum in sententiam Zvinglianorû descendisse; neq; etiam hic ingratiâ Helveticorum vel minimû defusâ sententiâ unquam cessit: prius ex Epistola Pellicani Calvinistæ ad quendam Witebergæ Familiarium scriptam patet, hujus tenoris: Gratiâ habemus pro singulari candore tuo, quo tandem id, quod res est, perscribere, nosq; de totâ concordia ratione certiores reddere voluisti. Longè enim aliter Bucerus jam pridem & nobis & Magistratibus nostris, & civitatibus Helveticis, hæc negotium aliquoties proponere ac persuadere conatus fuit, nempe Lutherum in nostram jam pedibus inisse sententiam: Nos vèro

contrarium ex Lutheri libris, audiente Magistratu nostro, ipsi demonstravimus. Etsi autem Bucerus responderet, nunc aliter se rem habere, & Lutherum jam mitiorem factum, minimè alienum à nobis doctrinam esse: Fidem tamen Adhibere Ei huc usq; non Potuimus, Tibi verò rectius nos erudienti credimus, & rem ita se habere minimè dubitamus. At Bucerum ne quidem Intelligimus, multò minus fidem ei habemus.

Posterius ex ipsius ad Helvetios Lutheri Epistola constat, in qua sollicitat eos precibus, eorumq; ministros, ut ipsi impium suum dogma abijciant, & idem secum de cœnâ domini sentiant, scribant atq; loquantur, ubi inter alia scribit:

De Sacramento Corporis & Sanguinis Christi neq; nos unquam docuimus, nec etiam nunc docemus, quòd Christus cœlitus à dextrâ Dei visibiliter aut invisibiliter descendat vel ascendat, Fidei articulo constanter insisimus, qui talis est: Ascendit ad cœlos, sedet ad dextram Dei, unde venturus est &c. quâ verò ratione & modo, Corpus & Sanguis Domini nobis offeratur, cum videlicet juxta ipsius verbum convenitur, & ipse celebratur institutio, divina omnipotentia commendamus & relinquimus. Nullius hic vel ascensus vel descensus mentionem facimus: sed verbis domini simpliciter inhaeremus, quæ sunt: Hoc est Corpus meum: Hic est Sanguis meus. verum si hic nondum plenè nos mutuo intellexerimus, illud nunc commodissimum, atq; utilissimum sit, ut nos nobis invicem Amicos (Non dicit, Fratres) prabeamus, & optima quæ de nobis invicem speremus, donec turbata aqua paulatim subsidat &c. His verbis B. Lutherus non mutat sententiam, ut criminantur adversarij, sed officiosis literis officiose respondet, i. e. pro candore & affectu pietatis & charitatis, quæ optima quæq; de errantibus sibi pollicetur, nihil, quantum salvâ veritate fieri potuit & debuit, in se desiderari passus est, quo Helvetij in veritatis viâ revocari possent; sed conatu frustraneo: Docuit enim
proh

proh dolor Eventus, totam hanc actionem ex parte Helvetiorum, non seriam sed simulatam fuisse & propèmodum insidiosam; à parte verò Witebergensium concordia quaesita, sed non inventa, tractata, sed non propter Obstacula consummata &.

3. Neq; vel tantillum beat causam Duromèlleam quòd provocet ad concordiam *Sandomiriensem* in Poloniâ A. 1570 sancitam, quam in Synodo *Toruniensi* A. 1595 approbatam fuisse scribitur, quia α . constat ex actis concordiae *Vilnensis* A. 1578, initæ, qualis fuerat iste consensus *Sandomiriensis* à parte Lutheranorum, scilicet, ubi inter alia multa, hæc leguntur verba: *Post scripturam, quæ tanquam mare est, in quo Elephas natat & agnus peditat, ut Gregorius inquit, amplectimur quòd, tanquam compendia, tria Symbola: Item IV. principalia œcumenica concilia, quorum Autoritatem tamen superat Sacra Scriptura. Et quia confessio doctrina singulis seculis lucere debet, recipimus celeberrimam confessionem Augustanam, nostro seculo, A. 1530. Carolo V. Imperatori Augusta in Comitijis imperialibus exhibitam, à qua ne latum quidem unguem, salva conscientia discedere possumus. Cum hæc regula cum congruat confessio ecclesiarum in Ducatu Borussiae & Curlandia, meritò eam approbamus & recipimus, si quid discrepat ab hæc norma, tanquam noxium repudiamus: Damnamus igitur eos errores & hæreses, quæ pugnant cum S. Scripturâ, tam veteres quàm recentiores: & præsertim de quibus jam in Ecclesia controvertitur, ut Antitrinitariorum, Arianorum, Macedonianorum, Anabaptistarum, Nestorianorum, Pelagianorum, Sacramentariorum, & quoquo nomine appellentur, qui veram præsentiam corporis & sanguinis Christi in cenâ Domini negant, ac offerimus nos ad ulteriorem declarationem. β . Ex actis itidem conitat in Ireneo B. Hutteri pag. 45. 46. prolixè & bonâ fide recitatis, cujus farinae fuerit Concordia illa *Sandomiriensis*, nempe ma-*

lis

lis artibus quæsitâ, insidiosè extorta, erroribus stipata, & plurimarum per Poloniam Ecclesiarum consensu ac approbatione destituta, Calviniana dogmata confirmans, repudiatis & suppressis orthodoxorum sententiis, qui publicè contradixerant. γ. Quia verò *Stratemanni* historia, Augustanorum Sandomiriæ subscribentium causam vel apostaticam vel suspectam faciat, ubi pag. 1075. scribit: *Anno Christi 1570. Synodus Sandomiriensis generalis in Regno Polonia habita est, in quâ triplex confessio, scil. Lutheranorum, Helvetiorum seu Calvinianorum & Bohemorum sive Hussitarum in Poloniâ viventium, publico examini subjecta est, tandemq; decretum, ut juxta descriptum Aug. confessionis variata de S. Eucharistiâ doceretur.* Idcirco tenendum est Augustanos illos theologos, fuisse vel α. Pseudo-Lutheranos seu Crypto-Calvinistas, quales fuere 4. isti Witebergenses tunc temporis theologo, Widebramus, Cruciger, Mollerus & Pezelius, quorum scriptum Calv. grundfeste anno sequenti 1571. Dræsdæ refutatum est per librum cui titulus: *Wiederholete bekendtnis vom Abendmahl.* nempe si scientes & volentes subscripserint, quorsum spectat Dn. D. Lucas Osiand. in hist. Eccl. Cent. 16. lib. 4. pag. mihi 879: *Endtlich ward in dem Artikel von einhelligkeit der lehr beschlossen/ daß sie den Sandomirischen consens, die lehr belangendt/ behalten wollen/ welcher mit handgelübdnis angenommen und bestetigt/ und mit eignen handen unterschrieben worden. Dann die weil die Kirchendiener in Polen zuvorhin unterschiedliche Glaubensbekandnuße/etliche die Augspurgische/ etliche die Behemische/ oder der Brüder/ etliche der Schwärmer/ gehabt und gehalten hatten/ so war im Sandomirischen consens, so wol in diesen zu Dorn für gut angesehen/ daß dieser dreier confession Kirchen-diener under sich selbs/ wider die eusserliche feinde einich weren/ sonderlich aber von dem Sacrament des Abend-*

mahlſ ſolte man auch der form der Augſpurgischen Confeſſion, nicht die zu Augſpurg An. 1530. vberantwortet/ ſondern die auff dem Concilio zu Trient An. 1552. hette ſollen übergeben werden/ lehren. Wan dieſer Theologen in der lehr weren rein geweſen/ hetten ſie die erſte Augſpurgische Confeſſion nicht verworffen. Vel β . Fuisse quidem orthodoxos, sed à Calvinianis insidiosè seductos, ut constat ex actis Toruniensis Synodi prolixè allegatis à B. Dn. D. Huttero in *Irenico verè Christiano*, quibus præfatur pag. 45. his verbis: *Esi enim negare non possum in Synodo hac Toruniensi, decretum esse, Sandomiriensem consensum de doctrinâ retinendum, quin etiam datis junctisq; dextris à Ministris Ecclesie ac Patronis plerisque tum presentibus, approbatum & receptum fuisse: tamen & illud negari non potest, tres illas, Augustanas, Behemicas, sive fratrum, & Helveticas Ecclesias, in diversas abysse sententias: neq; prius consensum ullum initum fuisse, quàm illi, qui Helveticas sequebantur Ecclesias consensissent, doctrinam de Cœnâ Domini, juxta præscriptum Augustana confessionis, esse proponendam & declarandam: ac si quis aliter doceat, loquatur, scribat, non habendum pro fratre: nec in Ecclesiâ Regni Poloniae Evangelicis tolerandum esse. Sed neq; hic Calviniani bonâ fide agebant, quippe in medium proferentes exemplar Augustana confessionis, non illius, qua An. 1530. Augusta CAROLO V. Imp. fuit exhibita: sed mutata & adulterata, quem tamen dolum nemo observaverat. Deinde negari non potest, quòd in illa ipsa Synodo Toruniensi Paulus Gericius, Concionator Posnaniensis, cujus gratiâ Synodus maximam partem fuit instituta, consensui Sandomiriensi constantè contradixerit, & hac in re parastatas & socios habuit non paucos. Hæc omnia & plura in hanc rem producit laudatus author prolixè, ut dixi, ex ipsis Actis, quæ ibidem legi possunt.*

3. *Colloquium Lipsiense* quod attinet, ad quod terriùm provocat *Duræus*, frustra tentatum esse etiam illud & sine effe-

Et uilius coalitionis Ecclesiasticæ pariter ex historijs constat: sic enim illud describit *Stratemannus* pag. 1130: *An. Ch. 1631. Mense Martio colloquium Lipsiense institutum est inter Theologos Saxonicos Electorales, D. Matthiam Hoë, Nobilem Austriacum, Electoris Saxonia concionatorem aulicum, D. Polycarpum Lyserum, Henricum Höpfnerum. Et inter Theologos Brandenburgicos Et Hassiacos, D. Johan. Bergium, D. Joh. Crocium Et Theophilum Newbergerum. Hi Theologi in privata collatione citra præjudicium aliarum Ecclesiarum tentarunt, an controversia inter Ecclesias protestantium integro jam seculo agitata, si non planè componi, tamen aliquo modo minui possent? Verum in hoc colloquio nihil effecerunt. Causam autem frustrationis hujus colloquii indigitat B. D. Micrælius hist. Eccl. part. III. p. 487, videlicet quòd Brandenburgici & Hassiaci (sc. Calviniani Theologi) quidem primitus confessi sunt addictos se esse augustanæ confessioni An. 1530. CAROLO V. exhibitæ, sed mox tum verbis suum à Saxonis ceu orthodoxis dissensum declarârunt, tum scriptis postea inter Bergium Et D. Hoë, publicatis reconciliationem desperatâ utrinq; agnoverunt. Concludit igitur his verbis d. I. Micrælius: Et quanquam alijs (Syncretistis) visum est illa religionis capita, in quibus utriusq; partis theologi consentiunt, abundè sufficere, cum ad salutem hominû Christiani, tum ad solidiorè pacem in Ecclesiâ Dei stabiendam; Non tamen sine causâ alijs (γνηϊως Lutherani) verentur, nisi Deus ipse animos dissidentium Et quidem in fundamentalibus Fidei articulis, in viâ veritatû consolidet, ne frustrâ sit omnis conatus, quem præter Lipsiacos, Joh. Duraus hæcenus magno studio adhibuit, ut capita illa controversiarum Et reliqua obstacula inter nostrates Et Calvinianos tollantur, quæ obstare videntur, quò minus in unum corpus coalescamus. Hæc ille,*

4. Colloquium tandem Cassellinum, & fraternam in eo concordiam sancitam An. 1661. inter theologos Marpurgenses & Rinthelenses, quod concernit, in recenti memoria est hi-

storia de literis ad nos missis unâ cū *Epicrisi* super hoc colloquio Rinthelio marpurgēsi à *Theologis Witebergensibus* publicatâ, & ab universis Lutheranorū Academijs in toto orbe arctoo approbatâ, ut ex Censuris in peculiarem Syllogen comportatis, patet; quibus etiam præter literas R. diss. Dn. Procancellarij nostri, insuper nomine nostræ Facultatis, accessit censura peculiaris, quæ in hisce nostris Responsorijs cum materialitèr tum formalitèr expressa est:

Literæ Aboënsium ad Theologos Witebergenses, 1662.

Gratia, Misericordia, Pax à Deo Patre, & à Jesu Christo Filio Patris, in Spiritu veritatis ac charitatis!

PLurimum Reverendi, Amplissimi & Excellentissimi Viri, Domini, Fautores, Amici & in Christo Fratres jugiter observandi. Tandem aliquando ad nos etiam, in Aquilone degentes, Literæ vestræ pervenerunt, quarum copia multis dudum, ut apparet, Theologicis collegiis alijs pariterq; facta est, significantium puriori Christianorum orbi, quid superiore Anno, in Colloquio Cassellano cum Marpurgensibus Theologi Rinthelenses egerunt; quòd mysticum nempè fœdus inierint ac ceu fratribus unius Religionis conspiraverint cum juratis Calvinianis, exitialibus eorum dogmatibus se multis in clausulis attemperaverint, residuos Reformatorum errores fundamentales tanquam saluti innoxios toleraverint, adeoq; nec nominandos esse in suggestu, neq; refutandos in Cathedrâ, nisi vel dissimulato nomine Authoris, vel præfatione præmissâ honoris dictaverint; quin posse deniq; viciniore Ecclesias & Academias, paucis adhuc, ut illi opinantur, per conventum similem, vel Sopotis vel mitigatis controversijs, in eandem Syncretismi societatem quantocius accersiri. Et quia attulit Tabellarius unâ, vestram *Epicrisin* cum pleniori Relatione de universis & singulis

singulis prænominati Colloquij Actis, aliorum *γνησίως θεολο-
 γῶν* judicij de toto hoc negocio accumulari quoq; no-
 strum petivistis. Quibus omnibus intellectis, non diu de-
 liberavimus, quid foret tam pio honestoq; postulato respon-
 dendum; Sed ut moræ responsoriarum plurimas Faculta-
 tis nostræ occupationes, quibus eramus hoc semestri spacio
 in hodiernum usq; diem interpellati, sincerâ fide causari
 possumus, ita penes æquanimitates vestras dilationem hanc
 ab omni tergiversatione liberari facilèq; excusatum iri
 confidimus. Quòd verò tanto zelo, tantâq; saluti Eccle-
 siæ insumptâ curâ vigiliâq; excubare, & præsertim diffici-
 simos Socios sacrorum Consiliorum vestrorum participes
 facere voluistis, idq; tantâ *πληροφορίᾳ* & candore, tamq;
 inusitatâ modestiâ, ut aliud quidvis simus arbitrati, conjun-
 ctissimæ in Christo fraternitatis indicium esse, si non hoc
 sit; est quod nobis summoperè gratulemur, vobis verò
 maximas & singulares gratias agamus. Succinctam igitur,
 atq; sub ipso stylo nunc natam sententiæ nostræ de præsen-
 ti causâ formulam hanc habete:

Rinthelensium defectionem à socijs & novam cum vicinis
 Doctoribus Calvinianis factam conjurationem in fundamen-
 tali puncto religionis, unâ vobiscum prægnantissimarum
 rationum firmamentis suffulti seriò improbamus atq; da-
 mnamus. Etenim nova illa concordia, à verbo Dei discor-
 dat, veræ Ecclesiæ pestem molitur & exitium, Sociis præ-
 judicio est, simplices offendit, Pontificijs alijsq; Adversa-
 riis anam calumniandi porrigit, præpostera consilia heno-
 ticorum ac Syncretistarum, magno per orbem *ὀρθῶς* Lu-
 theranum consensu profligata, ruminat & ad praxin trans-
 fert, Religionem profanat, atq; adeò angustas deniq; por-
 tas cœlorum nimium dilatando, Adami Neuseri Exemplo
 latam viam ad atheismum sternit. Quæ omnia & plura in-

de redundatura incommoda partim in vestrá ἐπιχειρήσας πάντε-
 λως συχέσθη τῷ κανόνι, digito monstrantur, partim à nobis
 fuscè probari, si opus sit, possent. Accedit quod eodem
 priore anno 1661. impressa Colonia Agrippinæ sit, cujusdam
 è Societate Jesu Jacobi Masenij Meditata Concordia Prote-
 stantium cum Chatholicis, Alexandro VII. Pontifici Roma-
 no dedicata, in quâ sparsim circa finem mentio fit opusculo-
 rum his annis editorum à quodam patriota nostro, plurima
 quorū Exemplaria, referente eodem, in Francofurtensibz nū-
 dinis paulò ante vendita atq; Authoris curâ distracta sunt,
 quo idem pacis Ecclesiasticæ negotium pari pietate per ab-
 sentem maturaretur. Laudat Jesuita propositum Autoris
Stregnensis, speratq; Irenicorum similium admotâ manu ac
 distributâ operâ, vel universum omninò, vel præcipuum sal-
 tèm protestantium Gregem ad stabulum Pontificis reditu-
 rum propediè. Interim ipse in cõfessione suâ eandē cum Mar-
 purgensibus artem ludit: unâ manu caduceum ostendit,
 alterâ latentem sicam tenet, pauca scilicet videri vult lar-
 giri, ut plura sumat. Gravissimo proinde judicio, divino
 afflata ac consummatâ quâdam in juvenili animo prudentiâ
 Clementissimus Rex noster CAROLUS XI. & cum eo Cel-
 sissimi Regni Administratores, præposterum illud & cum
 infallibili veritatis cœlestis jacturâ copulatum desiderium,
 consultis etiam Theologis, fregerunt, atq; publicato di-
 plomate, cujus exemplar, procul dubio, etiam vobis pa-
 tuit, nuncupatos libellos similesq; tractatus Syncretisticæ
 rei vel minimum patrocinant, in posterum voluerunt exu-
 lare ac omni promulgatione & applausu in totâ dilectâ patria
 nostrâ destitutos ac planè prohibitos esse, præfagientes augu-
 stissimi augures, infelicissimū fore compediū, quod animarū
 futurum dispendium foret, adeoq; tolerantiam jure intole-
 rabilem, quæ ipsum capitis Christi jugulum petentes erro-

DE VI VERBI DISCERNENDI RELIGIONES. 619
res admitteret, quosq; certissimum fidei atq; æternæ salutis
naufragium expectat. Virent etiamnum ossa in Monu-
mentis suis Beatissimorum Regum, antecessorum Principum
ac Magistratum nostrorum, qui inde à primis Reforma-
tionis temporibus, non modò in Nationali Concilio Upsa-
liensi, Anni superioris seculi 93; sed & in plurimis alijs
prioribus & posterioribus comitijs & congressibus ordinum
Regni publicis, ὀρθοδοξίαν comprehensam in invariata Con-
fessione Augustanâ CAROLO V. An. 1530. oblata, cæterisq;
libris Symbolicis nostris declarata, alij proprio sanguine,
ut Rex GUSTAVUS ADOLPHUS, alij editis in publicum
statutis adversus tutelam non solùm Pontificæ & Calvinia-
næ, sed & cujuscunq; tandem hæresios, ut P. M. Rex CA-
ROLUS GUSTAVUS, cœlesti fortitudine ac Regiâ autho-
ritate propugnauerunt. Hinc toti Mundo Constabit, nullam
prorsus ab Ecclesijs nostris, vel jam aucupari, vel in posterum
unquã probatū iri vel Religionē, vel religiosā pacē, quæ cum
manifesto orthodoxæ fidei detrimento & interitu consti-
tuitur; nisi solam eam, quam Propheticam, Apostolicam,
verè Christianam, & à primo Reformatore propriè nun-
cupamus Lutheranam. Addunt dictis pondus, devotissima
Regum nostrorum homagia, obligationes Sacramentales
Senatorum & Regni ordinum. Sic nostrum unumquemq;
quibus verbum Domini, divinâ vocatione publicè docere
ac veritatem ejus contra quasvis heterodoxias tueri pro-
pius incumbit, juramenta erudient, grande sacrilegium
committi, ac Christi ministerium deserere, si quis sciens assen-
tiendo falsis dogmatibus placere vel patri vel matri vel ulli
hominū studeret. Deum O. M. atq; immortalem ardenti voto
obtestamur & oramus toto pectore, ut Ecclesiam suam in per-
severantiâ solidæ veritatis ac innocentie conservet, ei-
demq; insidiantem acævientē magis magisq; Satanam com-
pescat.

pescat ac reprimat; dissidentem partem unam à confessi-
 one tot certitudinis testimonijs confirmatâ declinantem,
 ad emendatam pœnitentiam reducat; alteram in Aposto-
 lico fervore veritatis & Charitatis incedentem stabiliat,
 roboret, sanctificet! Speramus meliora de Rinthelensibus
 & unanimiter optamus, ut cogitent unde exciderint, ac re-
 vertantur ad sodales extra periculum statutos; Considerentq;
 quòd ex imaginario jure humano in Regnum Chris-
 sti, multi extiterint *αεθουραποι*, qui tempore tentationis re-
 cesserint. Non longè, stellis incipientibus cadere de cœ-
 lo, abesse potest adventus Domini, supremi judicis, qui
 sortem dabit tepidis & talentum suum defodientibus perfidè
 negociatoribus, cum infidelibus; vigilantibus verò ope-
 rarijs requiem cum Electis. Tunc demum manifestabitur,
 tutius ne fuerat in fidei articulis, sequi *αυτδιδειαν* ac ambitio-
 nem pontificiam, & dialecticam Rationis humanæ Zvingli-
 anam, an sapientiam illam, quam Paulus stultitiam Dei ap-
 pellant, expressam in verbo Christi & à spuriiis interpretati-
 onibus vindicatam in Catholicâ ac piâ Doctorum Augusta-
 norum Concordiâ? Hos Credimus veri spiritus opera se-
 qui, ac vocem magni Dei ac Regis audituros in extremo
 die: Euge servi boni & fideles, introite in gaudium Do-
 mini vestri. Interèa vos, viri fratres, præliamini prælia Do-
 mini, intelligentes coronâ vobis servatum iri in die isto pan-
 tocritico immarcessibilem. Deo omnipotenti & Sacro ejus
 verbo unicè commendati. Valetè!

Scrib. Aboæ
 in Finlandiâ 25. Octob.
 Anno gratiæ 1662.

V. V. P. R. R. D. D.

Off. colens

E NE VALDUS SVEN.

Q. G. A. S. S. Th. D. & P. P.

Nec non h. t. Decanus.

Pergunt

AD

Politissimum Juvenem,

Dn. JOHANNEM BENEDICTI MACRO-
LANDRUM, discipulum & amicum
meum perdilectum:

U*T sis longævus, sanctos venerare parentes
In terris; maneas Macrobiusq; polo
Te reverere Deum Summum, verbumq; salutis
Dilige, polliceor, nomen & omen habes:
Nam MACROLANDER erit, grandævum dixeris ac si,
Quem superesse volunt prospera fata diu!*

L. Mq;

PRÆSES.

Præstantissime Domine Respondens

Singularis, quam semper in te conspexi humanitas tantum nunc facit ut hic te debeam licet occupatus paucissimis affari. Ac quemadmodum notum est illos, qui gemmas præstantiores aut metalla puriora quærunt, non tantum extremam terræ cutem montiumq; cacumina aperire sed etiam in ipsa viscera ac profundiores voragines sese debere immergere; Ita decet illos, qui mansuram aliquam ac cum dignitate conjunctam eruditionem quærunt non
circa

circa levia tantum illa ætatem terere, verum in ipsa doctrinarum adyta altius penetrare. Certè si quid judico, nihil mihi prodesse videntur abdita scientiarum secretaq; universa artium, nisi quis ex divinarum rerum fontibus omnem sapiendi dexteritatem hauserit. Quod cum te considerasse videam nuncq; publicè intricatam quamdam materiam theologiam adversus quorundam somnia defendere, non possum non gratulari satis pijsimo ac laudatissimo tuo conatui. Ipse Jehovah, qui bonum opus nunc in te cœpit, illud ut ulterius perficiat volet ex animo

J. PETREJUS.

